

Dissertatio Academica,
Sistens Meditationes Quasdam
De

SPECTRIS.

Cujus

Partem Priorem,

Cons. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

Præside

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

Eloq. Prof. Reg. & Ord. R. Acad. Litt. Hum. Hist.
& Antiquitt. Membro,

Pro Gradu

Publico Examine modeste subjicit

ZACHARIAS UHLENIUS,

Stip. Reg. Ostrobotniensis,

In Auditorio Minori die XXII. Junii MDCCXCV,

H. A. M. C.

ABOÆ,

Typis EFENKELLIANIS.

à Monsieur

JACQUES de FORSELLES,

Conseiller au College de la guerre,

Et

à Madame son Epouse,

Née MARIE CHARLOTTE
de CARLSKJÖLD.

Monsieur & Madame!

J'ai reçu de Vous, Monsieur & Madame, les témoignages d'une bonté toujours égale; & mon cœur, pénétré d'un sentiment qui ne changera jamais, se plaît au devoir de l'entretenir. Souffrez donc, je Vous supplie, Monsieur & Madame, que, vous devant beaucoup, je fasse une gloire de le dire hautement, & Vous offre cet ouvrage, comme un tribut de ma reconnoissance. Elle sera éternelle; puisqu'elle égalera la durée des sentimens respectueux avec lesquels je suis,

Monsieur & Madame,

Votre très-humble
& très-obeissant serviteur
Z. UHLENIUS.

Viro Præclarissimo,

D: no Magistro

GUSTAVO CHRONANDRO,

Reктору Scholæ Trivialis Uloburgensis Dexterrimo,

Fautori Propensissimo.

Quandoquidem materia in hacce dissertatione perscricta, præ-
judicium vulgo nostro adhuc commune spectat, & id mi-
bi cum multis aliis erroribus ereptum, Tuæ maxime infor-
mationi diligenti ac solide debeo, qua me sine ulla vel spe
compensationis oblata, per sexennium beare haud gravatus
es; cui potius quam Tibi, Vir Præclarissime, pagellas has
dicarem? In cujus præterea ære ita sum totus, ut ingratiissi-
mus essem, si Tuorum in me beneficiorum, inde a pueritia
collatorum, vel memoriam venerabundam non servarem, vel
publice testandi ullam occasionem idoneam prætermitterem.
Tu enim, Vir Præclarissime, non solum primas litteras me
docuisti, verum etiam inopia summa presso, plus semel ma-
nus porrexisti auxiliatrices, animum meum incertum &
in eligendo studiorum genere fluctuantem consiliis confir-
masti, luctantemque cum imbecillitate virium erexisti: ac
ut verbo omnia complectar, letus fateor, Tibi omnia
quæcunque mihi evenerant fausta atque secunda, post Deum me
debere. Cum vero officio digne persolvendo meo imparem

pro-

*prorsus me deprehendam, mentem piam ac debiti sui nunquam
non memorem offero, cum perpetuo omnigenæ felicitatis vo-
to: rogans ut documentum hoc sincerissimi affectus solito ex-
cipias favore! Qua spe plenus, ad cineres permanebo,*

Præclarissimi Nominis Tui

cultor humillimus

ZACHARIAS UHLENIUS.



§. I.

Cum opinionum de *Spectris* dissensione ita discrepent homines eruditi, ut in duas divisi quasi sectas, alii omnia quæ de iis narrantur ad vana terri culamenta & inania somnia referant, alii autem & offerri Spectra hominibus interdum, doceant, & explicare eorum rationem conentur; operæ pretium duximus, navatæ literis diligentæ specimen qualecunque edituri, huic argumento considerando atque exponendo paucis immorari, atque quid sanæ præcepta Philosophiæ, ut de illo teneamus, sciscere nobis videantur, breviter significare: æquo Lectoris Candidi iudicio meditationes nostras, qua par est modestia, subjicientes.

§. II.

Ut autem, antequam ipsam disputationem aggrediamur, definitionem rei demus de qua disputandum est, *Spectra* nobis significare notamus species hominum demortuorum, quæ viventibus sese offerre putantur, ac maxime quidem visui eorum, sed sæpe etiam auditui, & aliquando, licet rarius, tactui sentiendas præbere.

bere. Unde apparet ratio nominis cum Latini (*Spectrum* a spectando) tum Græci (*Ειδωλον & Φαντασμα* aut *Φασμα*, ab *ειδω* video, & *Φαινω* appareo) (a). De iis persuasionem & valde antiquam, & apud homines rudiores atque incultiores valde communem vulgaremque, cum olim fuisse, tum hodie adhuc esse, constat (b). Cujus rei vestigia etiam in Scriptura S. inveniuntur; ut videre est ex prohibitione Mosis *Deut. XVIII: v. 11*, ne ab iis oracula petantur, nec non ex Historia de Spectro Endoreo, Sauli viso & ab eo consulto, i *Sam. C. XXVIII*. Ægyptios, Græcos, Romanos, populos Septentrionales &c. fuisse huic opinioni deditos, historia abunde testatur: hinc festa comperimus ad *Manes* mortuorum (h. e. animos a corporibus separatos) placandos esse instituta &c. Nec Apostolos Salvatoris nostri, ante ejus in cœlum ascensionem, ab hac persuasionem metuque spectrorum fuisse immunis, ex *Matth. XIV: 26*, *Luc. XXIV: 37* perspicere licet.

§. III

(a) De Etymol. vocis Svecicæ *Spöte* cfr. *Ihre Glossar. Svec. Gotb. voc. Spöf.*

(b) "Die Einbildung von den Gespenstern scheint wirklich in der ganzen Welt geherrscht zu haben. Die wilden fürchten sich vor diesen eingebildeten Schatten so sehr, daß sie im finstern kaum einen Schritt gehen dürfen". Etc. *KRAFFT Sitten der Wilden* III Abh. §. 43. pag. 326.

Natales autem hujus opinionis repetendi videntur partim ex desiderio mortuorum amicorum (parentum, liberorum &c.), partim ex odio vehementi inimicorum, inprimis injuria atroci læsorum, trucidatorum &c.: cujus utriusque generis hinc sæpe in fomnio videri visæ sunt mentibus ægris species; quæ cum valde essent vividæ, pro naturis vere conspectis ab hominibus simplicibus habitæ sunt, ac cum iis confusæ. Notum est, quam sint ingenia rudium hominum ad foetus quosque Phantasiæ excitatæ, amplectendos prona (a). Morbos etiam, & singularem in quibusdam hominibus mentis organorum conformationem, unde varia miraque illis etiam vigilantibus observantur Phantasmata (b), ad hanc fidem corroborandam contulisse, probabile est: quorum narrationes pro-

A 2

nis

(a) Cfr. ISELIN *über die Gesch. der Menschheit* 1 Band. III. B. XVI Haupt. p. 322.

(b) Vid. MURATORI *über die Einbildungskraft des Menschen* II Th. IX C. & inprimis additamenta ad idem & sequens Caput (p. 81 sqq.) a Cel. RICHERZ profecta, quæ laudem utilissimi libri vehementer augent. Præsertim exempla ab iis adducta attentionem merentur, inter quæ hominum illustrium *Hieron. Cardani & Torquati Tassi* eminent. Quid Fanatici sibi aliisque persuadere valeant, notum est. Quin hominum etiam delirantium de viis atque auditis narrationes, fidem sæpe invenerint, vel recentissima exempla dubitare nos vetant.

pronis mox animis, pro veris factis, & certo experientiae testimonio nixis, probatae sunt. Multas alias causas tacemus (c). Timor & superstitio ubi semel animum occuparunt, levissimae deinde res eum turbare poterant; aliique aliorum semper majorem addiderunt cumulum historiolis atque narratiunculis, donec in fidem tandem popularem atque communem sic auctae abirent. Sensus porro ingratus ab idea mortis difficulter separabilis, terroris illum genuisse sensum videtur, quem cum apparitionum & Spectrorum fide semper fere conjunctum fuisse, reperimus, quemque definitioni quoque eorum includunt nonnulli. In infantia primum, ac deinde aetate etiam proveciore, ideas multas hujus generis sensim haurimus, & sine praevio ullo adoptamus examine (cui scil. instituendo pares nondum sumus), omnia quae majores natu homines nobis proponunt, oraculorum instar suspicimus, eorumque ex narrationibus vel gau-

(c) "Unzählige dinge haben die älteste und unwissende welt in dieser meynung bestärket; ein jeder ungewöhliches geschrey von Nachteulen oder andern wenig bekanten Thieren, der geringste lärm den man bemerkte, ohne dessen ursache zu wissen, waren genug, sie zu einem so ungereimten Aberglauben überreden, KRAFT l. c. Multa quoque naturae phaenomena rariora & mirabiliora (ignes fatuos, imprimis in vicinia locorum ubi mortui sepulti fuerant visi, ambulones, Gygis, gubbar &c.) materiam huic superstitiohi alendae praebuerunt. Et sic porro,

gaudium vel dolorem ac metum percipientes, reliquis ideis associamus, systemati idearum sensuumque nostrorum inteximus, ac animo alte imprimimus; quo difficiliter inde postea evelluntur. Mirum itaque videri nequit, si tam late persuasio de spectris sese per orbem diffudit, tamque altas in vulgi animis ubique egit radices.

§. IV.

De animis hominum ut de *spiritibus* licet passim loquantur veteres cum Poëtæ tum Philosophi; tamen iis talem immaterialitatem non tribuisse, qualem nos hodie defendimus, apertum est. Quare nec absonum habebatur, externam iis formam, eandem ac corporibus, tribuere. Subtiliores tantum corporibus esse putabantur: unde nec Spectra (ut fœtus phantasiæ & somniorum decet) solida esse credebantur, sed umbris, imaginibus in aqua conspiciendis, & sic porro, assimilabantur. Itaque parietes transire posse &c. putabantur, & vere adesse, licet nec tactu, nec interdum etiam visu, sentirentur. Quare etiam vel dira sua specie, terrorisque sensu inde nato, nocere existimabantur. Continuare existentiam suam animos humanos; utpote a corporibus diversos, atque post discessum ab his suum, cogitandi tamen atque agendi facultatem retinere, cum persuasio inter mortales naturalis, antiquissima & communissima fuisse deprehendatur; fieri non potuit, quin hos ipsos esse crederent, qui

✿) (✿

viventibus sese nonnunquam sub pristina specie conspicendos præbere, solerent. Neque hos *Manes* unius omnes esse generis, sed pristinos & hinc admodum varios retinere mores atque cupiditates, putabant. Malorum scilicet hominum maleficæ esse indolis ac nocendi cupidos opinabantur; bonorum mites atque beneficos. Proponit veterem hanc fidem APULEJUS (*de Deo Socratis* p. 64. Ed. Lugd. 1610), lucemque ei haud exiguam affundit, dicens: "Est & species dæmonum animus humanus, emeritis stipendiis corpore suo abjurans. Hunc veterem Latina lingua reperio *Lemurem* dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus (a), placato & quieto numine domum possidet, *Lar* dicitur *familiaris*: qui vero ob adversa vitæ merita nullis bonis sedibus, incerta vagatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, id genus plerique *Larvas* perhibent." Hos maxime fuisse, qui (Spectrorum inde venientes

no-

(a) Patet, hinc nostros etiam arcessendos, *Somtegubbar*, esse qui domos custodire, & favere habitatoribus earum putabantur, *Lares* hos & privatim & publice magna religione cultos fuisse, mirum videri nequit. Ac vetulam esse hanc opinionem de animis hominum demortuorum, dæmonum in terra versantium, quorum boni illi mortalium curam agant, vel HESIODUS docere potest, Op. & D. v. 121. 126. 140 sq. Cum quo cfr. locus quem ex MARTIANO CAPELLA adduxit GESNERUS *L. Lat. Thesaur.* voc. *Manes*.

nomine) specie sua homines subinde terrerent, putasse videntur. Cumque & inviti a corporibus discedere animi crederentur, & sedes inprimis eas amare, in quibus olim libentissime versati fuissent (b); ea loca ubi vel sepulcra mortuorum habebantur, vel eorundem vivorum domicilia fuerant, spectris maxime infestari perhibebant: unde deinde fluxit superstitio qua templa Christianorum atque Cœmetria, inprimis autem loca supplicii capitalibus sumendis constituta, maxime esse aditu periculosa & hoc malo inprimis infamia (c), hodieque vulgus credit. Quare ethnici, qui liberari molesto horum hospitem terrore volebant, partim cremandis corporibus eorum eosdem abigere (d), partim leniendo eorum dolore, odio, ira, quietos eosdem placatosque efficere, conabantur: cui posteriori consilio mos veterum super tumulis heroum inter-

(b) Cfr. GESNERUS l. c. voc. *Lar* & *Lemur*, ubi locus affertur SERVII ad *Virgilio Aeneid.* L. VI. v. 152, utramque rationem conjungens, qui "apud majores, inquit, omnes in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut *Lares* colerentur in domibus.

(c) Quod scilicet loca, ubi plurimi mortui indiscrete sepeliuntur, non possunt non malorum etiam multorum corpora inferri, quorum manes malefici atque inquieti eas sedes infestent: quæ incommoda a sceleratorum, & ob atrociam crimina punitorum manibus, adhuc erant magis timenda.

(d) Corporibus enim in cinerem reductis, causa non erat, cur in iis locis manes porro morarentur. Cfr. KRAFT l. c. §. 41.

terfactorum hostes captivos mactandi (e), & inhumanum fœdumque Gladiatorum spectaculum, Populo olim Romano in deliciis, ortum debuit (f).

§. V.

Manes hosce, corporis quasi captivitate solutos, & potentia & scientia mortalibus multum præstare putabantur; quare his non modo timendi venerandique erant, sed Deorum quoque nomine & honore ornabantur. Unde formula illa in sepulcrorum inscriptionibus notissima D. M. (*Diis Manibus*), & aræ illis erectæ & sacrificia oblata: a qua superstitione, cultus quem parentibus atque majoribus suis hodie Sinenses exhibent, non abludit. Sed futurorum quoque ex iis cognitionem, cujus comparandæ stulti mortales semper fuerunt avidissimi, feliciter posse acquiri, existima-

(e) Ex suo nempe ingenio defunctorum mores censentes, temporibus quo nullum fere officium sanctius quam illud ultionis sumendæ (communi nationum barbararum vitio) habebatur, nullum quoque illis sese acceptius offerre posse munus putabant, quam si hostium effundendo sanguine illis gratificarentur. Barbari hujus moris apud HOMERUM & apud VIRGILIUM luculenta occurrunt exempla. Cfr. *Iliad.* XXIII. v. 174 sqq. & *Æneid.* X v. 517 sqq. & XI v. 82. sq.

(f) Ferum morem, quem ab Etruscis acceperunt Romani, a ritu funerum, ubi primo adhibebatur, deinde ad alios ludos solennes fuisse traductum, difficile non fuerit demonstrare: sed iam non vacat.

bant: unde artes Necromanticæ, consultique religio-
se manes & spectra. Quam impiam superstitionem,
ut Idololatriæ valde cognatam, itaque *Moses* l. c.
severissime prohibuit. Quare *Saulis* dementia, qui
cum ethnicas has fraudes ipse olim diligenter exter-
minasset, ab arte anus veteratricis oracula deinde ex-
petere instituit, (I Sam. XXVIII) tanto & turpior &
flagitiosior judicari debet.

§. VI.

A Gentilibus, & Judæis, ad Ethnicarum nationum
superstitiones amplectendas valde pronis, (apud quos
igitur Christi ætate communem videtur vulgi fidem in-
venisse), (a) hæc persuasio ad Christianos etiam trans-
B iit.

(a) Apparet hoc vel ex Apostolorum exemplo, qui Salvato-
rem mari inambulantem, ac post resurrectionem suam illis
subito apparentem, nonnisi *spectrum* esse, metu turbati
credebant. *Matth.* XIV: 26, XXIV: 37. Post ascensio-
nem vero Salvatoris in cælum, meliora de hoc argumento,
ut de aliis multis edocti, nullibi hanc opinionem confir-
masse reperiuntur, aut in scriptis suis attigisse: unde ad
præjudicia Judaica, quibus olim indulserant, pertinuisse
colligas. Opinioni suæ de vera spectrorum existentia in-
de robor quærere nituntur, quod hanc persuasionem di-
scipulorum suorum, ipsam Ille non reprehenderit, sed se
vere hominem, non inanem aliquam esse speciem, ostende-
rit; id nihili est. Hoc enim, non illud, agendum Ei
erat, sive vera sive falsa esset illorum de Spectris persuasio.
Nec opus fuit pro hoc scopo attingendo præjudicii late
patentis evellendi operam fulcipere.

iii. Sed doctrinæ Christianæ de animis hominum vel bonorum vel malorum, statim post discessum a corpore, suas in sedes diversas, perpetuo habitandas translatis, manifesto repugnare mox videbant, si illos in terra vagari nulloque alio consilio, nisi ut viventes nonnunquam terrerent, vel mortui corporis sui dormitoria, vel pristina quibus usi fuerant domicilia adhuc frequentare statueretur; omnium vero absurdissimum visum fuit, vel ipsis mortuis licentiam concedere æternas suas sedes interdum, pro lubitu deferendi, quo nugas in terris agerent (quales spectris ut plurimum tribuuntur), vel hominibus quibusdam, Magorum atque Sagarum nomine famosis, hanc in alterius vitæ cives potestatem, impertire, ut eosdem sive ex inferno sive ex cœlo beatorum citare (superstitiosisque quibusdam adhibitis ritibus atque incantationum formulis) aut naturali quadam aut diabolica arte valerent. Deum porro ipsum stultis his consiliis immiscere, impium merito habebatur. Alias igitur naturas, quæ has partes, animis hominum mortuorum olim tributas agerent, in auxilium advocare necesse erat. Cumque ea quæ Diis atque *Δαιμονιis* suis ethnici adscribere vulgo solebant, opera supernaturalia (oracula, prodigia &c.) Christiani Diabolis tribuere solenne haberent; novum etiam hoc spectrorum instruendorum munus, ingenti occupationum mole sollicitum, iis addebatur. Veritatem autem hujus hypotheseos confirmaturi, primum

mum quidem facta ipsa atque narrationes quæ de spectris subinde visis circumferuntur, pro certis atque fide idonea nixis sumere debebant, atque hoc fundamentum rationibus validis stabilire. Deinde ostendere eos oportuit, non animos ipsos mortuorum, quod olim creditum fuit, sese viventibus spectandos interdum offerre, sed alias naturas, mortuorum illorum induentes speciem, homines aliquando deludere. Ac has tandem naturas non alias esse, docendum fuit, quam malos genios, in Deum rebelles, Ejusque consiliis & hominum felicitati promovendæ inimicos ac repugnantes. Quæ omnia, sive ex S. Scriptura, sive ex sanæ principis rationis demonstrare & confirmare, æque profecto erit difficile.



